

Quare et quomodo carmina Bononiensi sermone scribenda sint

Stefano Rovinetti Brazzi

Cum abhinc annos XXV uersus facere Bononiensi sermone coepissem, saepe ex me quaesiui num et quam longe carmina mea legerentur quae lingua non uniuersali scripsissem, sed qua pauci aetate nostra, plerumque senes, uterentur. Ergo ut probem pancosmia aetae nostra, qua omni orbe terrarum tot sermones pereant, dignam esse ueterem Bononiensem linguam qua ad dicendum et ad scribendum utamur, primum ostendam quomodo Bononiensi sermone carmina scribi possint philosophia et litteris nostris digna; deinde, cum permagni interesse putem ad dignitatem sermonis nostri Bononiensis sustinendam ut ratione certa scribendi utamur, paucis dicam quomodo huius linguae uoces notandae sint, praesertim quod ad productionem uel correptionem uocalium attinet, quibus sermo noster Bononiensis ab Italica lingua maxime differt.

Inter eos qui litteras nostras funditus renouare conati sunt, certe sunt numerandi poëtae qui sermonibus uici uel urbis suae usi sunt, ut in prouincia nostra, quae Pado flumine, Appenninis montibus, Adriatico mari continetur, Raphaël Baldini, Tolminus Baldassarri compluresque alii quos omnes longum est numerare. Hi omnes, uoces et memoriam repetentes quas a parentibus accepissent, censuerunt non italica lingua carmina sibi scribenda esse, sed patrio sermone uici uel urbis suae qui Italice, uerbo omnibus noto, *dialetto* nominatur. Raphaël Baldini et Tolminum Baldassarri iam pridem nominaui, quibus adiungendi sunt Ninus Pedretti et Antonius Guerra. Hi omnes carmina sua antiquo sermone uici Romandiolae scripserunt quem, non longe ab Arimino, maiores nostri Beato Arcangelo dicauerunt; qui sermo cum paulum a Bononiensi nostro differat, ut, grammaticae structura simillimi, cognati esse uideantur, dicam quid de Raphaël Baldini sentiis censeam qui mihi uidetur de patrio sermone suo paucos ante annos iudicium non optimum fecisse: cum multis enim de carminibus disputauit quae patriis sermonibus nostris scriberentur semperque mea interfuit utrum

sermone isti agriculturalum apti essent ad philosophiam, historiam, ceterarumque rerum scientiam narrandas an digni non essent quibus in litteris uteremur.

Quid de Italica lingua patrioque sermone uici sui sentiret, Raphaël Baldini breui commentario dixit qui *Ante uerba res*¹ inscribitur: non omnia patrio sermone uici sui dici posse, sed philosophiam, historiam, ceterarum rerum scientiam Italico solo sermone narrari et explanari posse; esse autem quaedam quae solum uici nostri sermone acciderent; ergo ea esse materiem carminum nostrorum, si uerbis uel loci sermone uteremur, quae cotidie in uulgo fierent, quae uulgari sermone narrari possent quaeque omnium temporum quaestiones de vita, de morte, de deo, utrum futurum timendum esset necne, continerent, sed euentis uerbisque cotidianis permixtas, ab omni philosophica ratione alienas sed, ut ita dicam, in terra penitus defixas. Magistrum nostrum Raphaël Baldini, qui in uersibus scribendis maximus est poëta, haud scio an omnium praestantissimus qui temporibus nostris uersus Romandiolo sermone scripserint, tamen, quod ad poëticam rationem attinet, puto in medio flumine, ut ita dicam, stetisse: nam concessit omnium uitas dignas esse quae a poëta indagarentur, homine docto et philosophica ratione perito, negauit autem agricolas artifices aliosque omnes qui sermone uici sui uterentur, historiam suam indagare posse tamquam si eorum sermo ineptus esset ad naturam humani animi exprimendam, quod censeo fieri posse si copiam sermonis patrii nostri nouis uerbis et notionibus augeamus. Scribit enim Raphaël Baldini in carmine pulcherrimo quod Romandiolo sermone *Ciavga*, Latine *Cloaca* inscribitur²:

<i>Fugna ta n sint? L'è mérdà, invìci ciavga,</i>	Nonne audis 'receptaculum'?
<i>ch'l'è cumpàgn, però mè, e' sarà un'idea</i>	excrementum inest, cloaca
<i>o parchè a sémm d'in èlt,</i>	autem.. idem est sed ego, fallor
<i>che la roba la còrr e via, o l'è e nóm</i>	fortasse, vel quod superiores
<i>insòmma, ciavga, mè, l'è quant e' piov</i>	sumus, sed auferuntur res, nomen
<i>l'è dla gran aqua</i>	dicit ipsum, esse ergo censeo
.....	cloacam cum pluit, aqua cadit
<i>E e' dè dòp, quante t'èiruv la finestra</i>	multa

¹ Raffaello Baldini, *Prima le cose delle parole*, intervista di Manuela Ricci, in G. Bellosi e M. Ricci (a cura di), *Lei capisce il dialetto? Raffaello Baldini fra poesia e teatro*, Ravenna, Longo Editore, 2003, pp. 14 ss.

² R. Baldini, *Ciavga*, in *Ad nòta* [lat. Nocte], Milano, Arnoldo Mondadori Editore, 1995, pp. 4 s.

<i>U s'è lavè ènca l'aria, un lóm, un cièr</i>	-----
<i>E la Carpègna ch't la tòcch s'un dàid</i>	Et postero die, fenestram aperis,
<i>E t'sint a rogg Bonfè: "U s v àid la Dalmazia"</i>	aer ipse purus, clarum lumen, montes digito tangis et amicum quendam audis clamantem: "Ecce Dalmatia"

Si quid turpe uel inurbanum hic contineri uidetur, quaeso, ignoscite, sed censeo hoc proprium esse poëtae nostri, in re foeda atque uita hominum indigna quod in ea pulcherrimum atque a Deo datum inest cernere et desiderium Dei, qui numquam nominatur, patefacere. Huius rei plurima habemus exempla: in carmine quod *Susurrus*³ inscribitur, ubi dubitat poëta utrum sint Paradisus, Infernus, Purgatorium necne, haec uerba legimus:

<i>La paéura, in fònd, l'è un pó ch' ai péns</i>	Timor uere (ad hoc tempus saepe ex
<i>s't'è paéura ad qualquèl,</i>	me quaesiui)... si quid times
<i>la paéura e' vó déi ch'u i è qualquèl</i>	timor significat esse aliquid
<i>fóss ènch l'inferan, l'è qualquèl, o no?</i>	infernus ipse est aliquid necne?

Timor iste, quem dicit poëta causam esse dubitandi, effecit ut Beatus Augustinus, iam in fide confirmatus, superbiam suam relinqueret, ut ipse in Confessionum decimo libro ait: *conpressisti a timore tuo superbiam meam et mansuefecisti iugo tuo ceruicem meam*. Dubium non est quin a uersibus poëtae nostri absit superbia et dolor iste uacui, qui in conuersionis principio beatum Augustinum quoque affecit, communis sit multis qui aetate nostra uel temporibus antiquis, cum primum negassent Deum nostrum uel deos esse, deinde conati sint uel ad Deum per fidem et philosophiam redire uel aliud mundi principium ponere quod sola philosophiae uel numerorum ratione confirmaretur.

Quomodo sententias istas, quas mente sola fingimus, urbis nostrae sermone dicere possumus, qfuo semper agricolae et artifices usi sint, ad negotia sua intenti, ab omni doctrina rerumque maiorum scientia plerumque exclusi? Primum curanda est elocutio, qua uerba ad inuentionem idonea legimus, sententias circumscribimus quodque aures audiant iudicamus utrum aptum sit an

³ R. Baldini, *Un susórr*, in *Intercity*, Torino, Einaudi, 2003, pp. 84 ss.

ineptum ad sententias exprimendas atque explicandas ('aptum' dixi, non 'pulchrum', quod censeo in litteris nihil esse ipsum per se pulchrum, sed aptum aut ineptum ex linguae legibus qua utimur ut quid dicamus). Igitur ut Bononiensi sermone de dolore illo uacui disputem, quem supra nominavi, non dubitem forsitan uerbo in urbe nostra omnibus noto, *magõn*, uti, quod maiores nostri a Germanica lingua sumpserunt⁴ ut gallinarum et anserum uiscera proprie nominarent, quo deinde angorem illum notauerunt qui stomachum nostrum opprimit atque, ut ita dicam, omnino claudit ita ut sine cibo fames depellatur. Ad notionem illam uacui exprimendam, pluribus uerbis *dal gnént* dicimus nec maiores nostros sequimur qui, philosophiae expertes, adiectiuo *vûd* (Italice *vuoto*, Francogallice *vide*) alicuius rei egestatem notauerunt: pronomini articulum ita praeposui ut pronomen non alicuius rei inopiam notaret (*cus'èt in män? gnént* - quid in manibus tenes? nihil), sed notionem illam rerum quae, cum neque Deus uocauerit ut essent neque concedendum sit ut extra naturam fiant, nec sunt nec esse possunt. Ad significationem uerborum augendam magni interest ut articulo recte utamur: cum enim articulus quam rem nomen indicat, eam ab euentu ita separet ut res ipsa per se notio illa fiat quam Graeci ἰδέαν uocant, dubium non est quin in Bononiensis sermonis copia augenda nobis maximo auxilio sit. Sin autem nomen, articulo definitum, non notionem ipsam per se indicat, sed, exempli gratia, rem qua omnes uti soleant, uel hominem quem qualis sit omnes ita sciunt ut, si quis de eo loquatur, ab ingenio ac moribus suis separari non possit, quod probus uel malus uel ad domum uxorem liberosque suos defendendos strenuus, aliis uerbis quid sentiamus dicendum est. Ita Bononiensi sermone uerba illa *al bõn* quae saepe a parentibus meis audiui, non bonum illud summum significant, quod Plato τὸ ἀγαθόν uocat: nam non summum bonum circumscribunt, sed rem quam tangere, quam edere qua uti possimus quaeque nobis ad id apta uideatur (nam cum *a vói al bõn* dico non summum bonum desidero sed rem ad aliquid aptam vel aliquem qui ad negotia quaedam suscipienda aptus sit). Dicam ergo *la buntè dal Sgnõur sänze fén ch'sänpar l'é stè, fõre dal tänp* (bonum illud summum quod Deo inest, infinitum, quod semper fuit, extra tempora aeternum), ubi notio illa summi boni, non nomine solo i.e. *buntè* explanatur, quod proprie cibi gustatus est, sed aliis uerbis circumscribitur (*dal Sgnõur* quod Deo inest; *sänze fén* infinitum; *ch'sänpar l'é stè* quod semper fuit; *fõre dal tänp* extra tempora aeternum) quae

⁴ W. Meyer-Lübke, *Romanisches Etymologisches Wörterbuch*, Heidelberg, Universitätsverlag Winter, 2009, s.v. *Mago* (5233)

uim eius nominis pristinam, quasi ab agricolarum culina ortam, altius transferant ad bonum illud summum definiendum quod in Dei natura inest.

Restat ut paucis de recte scribendi ratione dicamus, qua maxime censeo opus esse ut sermo noster Bononiensis numeris litterisque dignus sit. Bononiensis sermo ab Italica lingua multis rebus differt, sed maxime hoc quod productione uel correptione uocalium in quibus est accentus, ita circumscribitur uerborum uis ut aliud sint, exempli gratia, *méll* (id est 'mille'), ubi brevis est uocalis, et *mêl* (id est 'mel'), ubi est longa, *páss* ('piscis') ubi brevis, et *pâs* ('gradus') ubi longa, *pággn* ('pignus'), ubi brevis, et *pâgn* ('uestis'), ubi longa: magni interest ut ii qui sermonem nostrum legunt, maxime si adulescentes uel iuuenes qui Bononiensem sermonem non a parentibus didicerint domi, ubi semper Italica lingua usi sint, sed cum adoleuerint a magistris uel a senioribus discant tamquam si peregrina lingua esset, intellegere possint utrum uocales longae an breues sint. Uocales ergo accentu notamus, acuto si breues et, quod ad *e* et *o* pertinet, si pressae, circumflexo si longae et, quod ad *e* et *o* pertinet, si pressae; accentu graui uocales *e* et *o* notamus si longae sunt et latae. Cum ad productionem uel correptionem uocalium consonantium productio uel correptio ita adiungatur ut post uocalem quae brevis sit longa fiat consonans, sed brevis post uocalem quae longa sit, ad consonantium productionem notandam litteras duplicamus, ut in exemplis quae supra attulimus.

Ut dicendi finem faciam, commemorabo quid Graius poëta aetatis nostrae, Γιώργος Σεφέρης, anno 1937 de lingua sua scripserit⁵, tribus rebus opus esse ad dignitatem Graecae linguae sustinendam, lege grammaticae, ratione certa scribendi, uerbis ad inuentionem idoneis, quae uerba non ab aliis linguis sumenda esse, sed uerborum significationem renouandam esse quae quid sentiremus subtiliter notarent. Cum de his rebus eadem censeam ac poëta noster, non est tamen tacendum Graecam linguam sermonem esse publicum nationis Graecae, ita ut discipuli in schola discant, apud omnes gratia et auctoritate ualeat, nec sit quisquam cuius non intersit ut uiuat, Bononiensem autem sermonem, nec publicum esse nec quem discipuli in scholis discant, ut timeam ne breui tempore pereat nisi paruos pueros doceamus nec ei dignitatem reddamus, aliorum

⁵ Γιώργος Σεφέρης, *Μια πρόταση γαι τη νεοελληνική γλώσσα* (lat. *Quid de lingua Graeca aetatis nostrae censeam*), in *Δοκιμές*, Αθήνα, Ίκαρος, 2002, III, p. 270 [cum nouam rationem linguae Graecae scribendae secutus sim, spiritus non notaui; accentum acutum pro graui et circumflexo substitui].

sermonum progressus imitantes qui a paruis initiis tantum creuerint ut sermones
publici nostrarum nationum facti sint.